



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Exedræ Ecclesiasticæ Sive Concionvm Moralium ... t. ...

In Dominicas totius anni

Schrötter, Johann

Coloniæ Agrippinæ, 1688

XLVI. In Domin XVII. Post Pentec. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo. Matth. 22. Arg. Canon divini Amoris.

Nutzungsbedingungen


[urn:nbn:de:hbz:466:1-56320](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56320)

Deut. 18. 9.
15. 16. 17.

dire nolueris vocem Domini Dei tui, ut
custodias & facias omnia mandata eius,
& ceremonias, quas ego precipio tibi ho-
die, venient super te omnes maledictiones
istae & apprehendent te. Maledictus eris
in civitate, maledictus in agro. Maledi-
ctum horreum tuum, & maledicta reli-
quia tua. Maledictus fructus ventris tui,
& fructus terrae, armenta bouum tuo-
rum, & greges ovium tuarum. Maledictus
eris ingrediens, & maledictus egrediens.
Percutiet te Dominus egestate, febre, &

frigore, ardore, & aliu; aere corrupto ac
rubigine, & persequetur donec pereas. At
caelum, quod est supra te aneum; &
terra quam calcas ferrea, &c.

Et ne tandem eveniant eadem malo
nostro, adnitamur, quantum in nobis
est custodire mandata Domini, & ce-
rimonias, seu solemnitates ejus; san-
ctificemus easdem, quatenus hae ma-
ledictiones in benedictiones com-
mutentur. Fiat.



CONCIO XLVI.

IN DOMNICA XVII. POST PENT.

Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.

Matth. 22.

ARGUMENTUM.

Canon Divini Amoris.

I Mnes scientiae, ar-
tes, professiones
tua habent prin-
cipia, & Canones,
quibus nitantur.
Aud. Habet sua a-
xiomata Philosophia, sua fun-
damenta Theologia,
suos Aphorismos Medi-
cina, sua elementa Ma-
thematica, sua theo-
remata Politica, suas demon-
strationes aliae scientiae,
& artes. Hae
principia quanto quisque
perfectius obtinet, pervadit,
ac tuetur; tanto excel-
lentior in ea arte, ac sci-
entia habetur, deprædica-
tur, promovetur; quan-
to minus assequitur, tan-
to vilior reputatur, in-
digniorque nomine illius de-

cernitur.

Ejusmodi duo principia scientiae
Theologicae Christianae in hodierno
Evangelio nobis proponuntur: *Dili-
ges Dominum Deum tuum ex toto corde
tuo & in tota anima tua, & in tota men-
te tua.* Hoc est primum, & maximum
mandatum Theologiae Christianae.
*Secundum autem simile est huic: Diliges
proximum tuum, sicut te ipsum.* In his
duobus præceptis universa lex pen-
det, & Prophetarum. His tanquam duo-
bus cardinibus vertitur, tanquam prin-
cipiis regitur, tanquam fundamentis
solidatur tota Theologia. Quo per-
fectius quispiam hae principia tenu-
erit, eò perfectior habebitur in scho-
la

Matth. 22.
v. 7.

la Christi, veraque Theologia, eoque insigniorem referet plausum, & lauream; quo minus assequetur, eo abjectior, incapaeior, indignior ascensu, laurea, regnoque cælorum iudicabitur.

Cum ergo proxime alterum evoluerim principium, de primo in præfenti agam, ostendamque in quo virtus, roburque illius consistat.

Partitio, & Narratio.

II. Multifariam, multisque modis Principium hoc primum, seu Canon à SS. Ecclesiæ Doctoribus evoluitur.

Vetustissimus Origenes sic exponit: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*; id est secundum totam recordationem, operationem, & cogitationem; *Ex anima*, ut paratus sis eam ponere pro pietate in Deum; *In tota mente*; ut nihil aliud proferas, nisi quæ Dei sunt. Verus enim amor cunctas sollicitat potentias, omnemque animi operationem ad amati cogitacionem.

Theophilacti interpretatio est: *Tres in anima dicimus esse vires, plantativam, animale, & rationalem. Diliges Deum in toto corde tuo, hæc est brutalis anima pars; & in tota anima tua, hæc est plantativa virtus, animata enim sunt plantæ; & in tota mente tua, hæc est vis rationalis.* Et sic oportet Deum diligere tota anima, hoc est omnibus partibus, & virtutibus animæ ei adherere. Ut intellectus, quæ sunt Dei perpendat, memoria recogitet, voluntas cum omnibus facultatibus amplectatur.

Guil. Paris. hunc Amoris scitè unò versiculo complexus est:

Omne in amore dabis, caput omne in amore secabis.

Id est amorem tuum abunde exhibebis, si usitato lologrypho vocabulum *Amore* dempra temper litera rectè diviseris, & quidquid eo clauditur, Deo tuo consecraveris. Si nimirum *Amore, More, Ore, Re,* profecutus fueris, Verus enim Amor in corde rudimenta ponit, extra moribus declaratur, verbis proditur, re ipsa cõpletur. Huic assentior, & dico.

§. I.

Amor Cordialis Deo exhibendus.

III. Ut mandato Domini Dei nostri obsecundemus, (qui supra id, quod dici, fingi, aut desiderari potest diligendus est) Amor imprimis Cordialis ei exhibendus. Is verò in eo potissimum consistit, ut nihil contrarium illi admittamus, nec cor nostrum partiamur consecrando illud alteri rei extra Deum; in tantum, ut malimus carere omnibus vitæ commoditatibus, ac deliciis, quam amato in minimò contravenire. Amorem verus Morti perfimilis, & *Fortis ut mors dilectio.* Occupat Mors intimum vitæ domicilium Cor, vendicat id ipsum Amor, spoliaturque amatorem Dei omni alio sinistro affectu. Illa ubi possederit corpus humanum, actutum sensus omnes sui juris efficit; ita ut nec oculus ultra sit oculus hominis, nec auris, nec lingua, sed totum corpus præda mortis evadat. Et divinus Cupido ubi potenti virtute sua cor occupaverit, quò non rapit sensus universos? quomodo nec auris cupit audire, nisi quod divinum, nec lingua loqui, præterquam quod

Amor Cordis Deo exhibendus

Dilectio fortis ut Mors. Cant. 8.

Orig. h. l.

Diligere ex toto corde quid sit.

Theoph. h. l.

Guil. Paris.

cœleste, nec gustus lapere quidpiam, extra id quod æternum, nec oculus videre, quam quod supernum, nec tactus contrectare, præterquam quod asperum. *Fortis ut Mors dilectio.* Illa separat cuncta ab homine, idem facit Amor divinus. Quisquis ejus igne incalescit, exiit se omnibus, quibus circumdatus fuerat, & nudus nudum insequi contendit. *Fortis ut Mors.*

Serpentis prudentia Matt. 10. v. 25.

IV. Informando Dominus discipulos suos ad missiones in omnes orbis terræ plagas, præcepit inter alia, quatenus æmularentur genium, ac virtutem serpentium, *Estote, inquit, prudentes, sicut serpentes.* Sed quænam ô Domine mi hæc virtus Serpentis, serpere super terram, veneno pasci, aliisque aculeo infundere, prodesse vix ulli, obesse quam plurimis? Cur non potius aliorum animalium præcipis solertiam observare?

S. Basil. in Reg. brevis. l. 1. c. 27.

Audio D. Basilium nomine ipsius respondentem: Ut videlicet quemadmodum serpens in paradyso, malignantis consilii ratione, blandiore aspectu, verborumque blanditiis à Deo avertit; ita Apostoli habita ratione temporis, personæ, loci, sermones suos in judicio disponant, à peccato impios revocaturi, adque meliorem frugem reducturi.

Theoph. h. l.

Audio item Theophylactum monitum idem interpretantem; ut nimirum ad ejus vermis imitationem per angustam viam incedamus, exuentes veterem hominem cum actibus, & concupiscentiis suis. Serpens enim veterem exuturus tunicam coarctat se in angustum foramen, eamque primum ab oculis, ac capite detrahere occipit. Nos vicissim arctam

viam, quæ ducit ad vitam ingredi par est, & à capite, atque oculis, id est intellectu, per æternarum rerum considerationem auspicari. Idipsum exigit Apostolus dum ait: *Expoliamus vos veterem hominem, cum actibus suis, & induentes novum, qui renovatur in agnitionem secundum imaginem ejus, qui creavit illum.*

Col. 3. v. 9.

Audio tertium S. Augustinum prudentiam Serpentis in hoc ponentem, quod unam aurem petræ apponat, alteram cauda occludat, ne forte incantamenti feriat: juxta illud Psaltis: *Sicut aspidis surda, & obturantis aures suas, quæ non exaudiet vocem incantantium.* Ita enim nos addebet adversum diaboli, pravorumque hominum consilia aures occludere, quæ recordatione Petræ, de qua excisi sumus, quæ instantium novissimorum recordatione.

Psal. 57. vs. Aug. h. l.

Audio, lego, stupeo hæc vilissimi vermis prudentiam, sed imprimis ore D. Hieronymi intimatam; quod nempe corpus, membraque omnia offerat, ac neci exponat, dummodo caput servet, ex quo vita procedit. O verè non serpentinam, sed Christianam, Apostolicam, immo Angelicam Prudentiam. Addebet enim omnia nostra in favillas redigi, quam Caput nostrum Christum deserere. Equum est totius corporis membrorumque omnium dispendio illud servare incolume, ex quo vita redundat sempiterna. Sacrosanctum omnem temporalium commodorum silvam excindere, quam ignem divini Amoris extinguere.

Æterna anteposenda

S. Hier. h. l.

V. Hic sensus adamantinarum illarum animarum, & generosissimorum

S. Cyr. Ep. ad Mart.

rum Christi pugilum erat, quorum ea vox identidem increbrescebat: *Occidi possum, separari non possum. Mori possum, & hoc mihi statutum est, & quidem centies millies si tot mihi vitæ forent, sed ut abstrahar, ut separer ab amore dulcissimi mei JESU nemo unquã sperare præsumat.*

D. Polycarpi magnanimitas Caribus, in Vita

Hæc vox D. Polycarpi Antistitis Tyranno improperantis: Octuaginta annis servio Christo, & nihil unquam mali mihi intulit, sed plurimis me beneficiis affecit; & ego tam ingratus essem, ut ejus amorem vel in minimo læderem, vel ab eo recederem, siue ad retinendam vitam meam, quotidie morientem, siue ad parcendum sanguini senectutis jam frigore concreto? Vivere & amare Christum una mihi, eadem queres est. Hæc sola aura respirat cor meum, eo omnia mea tendunt, tanquam ad proprium centrum, desideria.

S. Pauli Charitas & fortitudo Rom. 8. v. 35-38.

Hæc fortitudo D. Pauli Apostoli inter alia gloriantis, & ac percontantis: *Quis me separabit à Charitate Christi? tribulatio? an angustia? an fames, an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius?* Et responderet ipse Deo suo nixus: *Certus sum, quia neque mors, neque vita, neque angeli, neque principatus, neque virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare à Charitate dei, quæ est in Christo IESU Domino nostro.* Non timor mortis me à te separabit ô JESU; quia tu es vita mea, Non amor vitæ istius, quia hac desiderio privati pro te, Non virtutes cœlestes, quia major es illis; neque præsentia, quia transeunt; neque futura, quia in

illis nihil est, quod cupiam præter te; nec tribulatio, quia me consolatur; neque angustia, siquidem tu me dilatas; non fames, quoniam tu me satias; non paupertas, quia tu me ditas; non pericula, quia tu me affecuras; nec persecutio, quia tu me liberat; nec gladius, & tormenta, quia pro te suavia; non creaturæ, quoniam nihil sunt coram te; non quidpiam aliud siquidem omnia in bonum convertis. Hæc laus Sacerdotum Juda, quibus Tyranno Babylonis cuncta devastante imprimis curæ fuit, sacrum ignem abscondere, ac tutari. Hæc laus bonæ arboris, radicem ex qua virtus in ramos diffunditur, abscondere, & conservare. Hæc laus boni Christiani millies membris omnibus mutilati, quam Capite Christo truncati.

2 Math. 2.

VI. Alterum est, quod hic Amor Cordialis exposcit, ut omnes motus corporis & animæ, ex puro illius fonte oriantur, & ad eum cum quantitate fortitudinis fieri potest, cuncta dirigantur.

S. Ambrosii Prov. 23. v. 26.

D. Ambrosius interpretans illa verba Salomonis: *fili prave mihi cor tuum ait: Dilectus noster non acceptat in arbore vitæ humana corticem duntaxat operum, vult & radicem.* Bonæ sunt cogitationes de rebus sacris, bona desideria cœlestis patriæ, bona ratio cum jejuniis, & eleemosynis, bonum si SS. Missæ sacrificio, si sacræ interlis panegyri, verum Dilectus hisce omnibus non contentatur, nauseat cuncta, nisi ex radice charitatis vim, ac vigorem mutuent. Hæc est sicalus sanctuarii, quo omnis æstimatio ponderatur & ad eum jus

Charitatis encomia

ius pondus in cœlesti diribitio-
rio præmia, coronæque dis-
pensantur. Hæc est aurum ignitum,
quod Dominus mercari præcipit,
Suadeo tibi emere aurum ignitum. Au-
rum ob excellentiam, quod cunctis
antestet metallis, ignitum ob virtu-
tem, & experimentum. Hæc est a-
nima virtutum omnium, iisdem for-
mam, valorem, pretiumque dispen-
sans. Tolle hanc, & cadavera potius,
quam virtutem deprehendes. Cum
enim omne meritum proveniat à
Christo, cœteræque virtutes semo-
ta charitate non reddant vivum
membrum Christi, nec gratiæ ipsi-
us, ac meritorum participes; inde
evenit, ut illa exclusa, omni vita, me-
rito, præmio destituantur,

Apos. 3. v.
18.

1. Cor. 12. v.
2.

VII. Testatum id abunde fecit
Doctor Gentium ad Corinthios ita
scribens: *Si habuero prophetiam, & nove-
rim mysteria omnia, & si habuero om-
nem scientiam, & cognitionem rerum
humanarum, ac naturalium, & si ha-
buero omnem fidem, (tam eam, qua
rei revelatæ creditur, quam illam,
qua miracula patrantur) & quidem
tam perfectam, ut montes de loco in
locum transferam, Charitatem au-
tem non habuero nihil sum in esse
Spirituale Gratia, quæ facit, ut ho-
mo apud Deum aliquid valeat, &
mereatur. Et si in cibos pauperum distri-
buero omnes facultates meas, quas pos-
sum habere, & si tradidero corpus me-
um ita ut ardeam, ob religionem, aut
republicam, Charitatem autem
non habuero, nec fecero instinctu
illius, quæ pro fine Deum supra*

omnia amatum habet, sed respectu
quopiam humano, aut affectu, pro-
ut multi alii fecerunt, nihil mihi ad
animæ meæ salutem, æternæque vi-
tæ meritum prodest. Hæc ille Apo-
stolus. Ex quibus liquet nec donum,
nec virtutem ullam, sine cordiali
Charitate valorem, ac meritum nan-
cisci.

VIII. Eam ob rem universos idem
Apostolus adhortatur, ut si opera
sua Deo accepta esse velint, omnia ex
motiva hujus virtutis Theologicæ
faciant: *Omnia vestra in Charitate fiant.*
Observate in omnibus, quæ Nu-
men à vobis exposcit, & eadem in
idipsum tanquam in ultimum finem
ex intimo affectu dirigite. *Omnia ve-
stra in Charitate fiant.* Justissimum
enim est, ut cum conditor illa om-
nia propter hominem operatus sit, ip-
se homo ea, quæ fecerit, amore illius
reciproce operetur. Quemadmo-
dum ipse salutem nostram operatus
est in medio terræ, ita & nos in me-
dio cordis nostris operemur ea, quæ
nos provehant ad eandem.

1. Cor. 16. v.
14.

§. II.

Amor moratus.

IX. Demptra prima ob Amore ^{*Amor Civilis*}
literula, remanebit vocabulum,
More. Et hoc innuitur, ne Amor no-
ster sit rusticus, sed civilis & mora-
tus. Ingeniosa enim res est Amor,
itur more in amorem. Casti
Mores addecent castos Amores.

Sexcen-

Sexcentis in Testamento Veteri
ceremoniis supremum Numen coli
voluit, nec paucis in Novo. Idque ea
de causa, ut per signa illa exteriora, &
exercitia demissionis, ac reverentia
ad subjiendum se Deo interior ex-
citaretur affectus, & cum constemus
corpore & spiritu, utroque cultum
Latreuticum eidem deferamus.

Cant. 8. v. 1.
2.

X. Sponsa à sapiente decantata,
ut amore sponsi aestuabat intensissi-
mo, ita moribus candidis, suavissimis-
q; illum amplius sibi devincere nite-
batur. *Quis inquit illa, mihi det, &
te fratrem meum, sugentem ubera matris
meae, ut inveniam te foris; & deosculer
te, & jam me nemo despiciat. Appre-
hendam te, & ducam in domum matris
meae, ibi me docebis; & dabo tibi pocu-
lum ex vino condito, & mustum malorum
granatorum meorum. Videte hic, quam
commodis moribus, ac ceremoniis
amato placere, qua intus, qua foris
studuerit. Foris eundem praestolan-
do, aut obviam sese effundendo, of-
cula manibus, suavia labiis figendo,
eumque in domum suam officiosissi-
me deducendo. Intus verò avidissi-
mè audiendo sermones ipsius, con-
templando ipsius pulchritudinem,
porrigendo ei calicem vini conditi,
& mustum malorum granatorum.*

Id ipsum videre est in aliis Christi
amatoribus; qui millenis industriis,
officiisque Amorem suum eidem Di-
lecto contestati sunt. Et ipsi mundi
amores planum faciunt, urbanum,
officiosumque esse amorem, & mo-
re transiri in Amorem.

XI. Hanc urbanitatem imitari,
exercereque erga Christum Domi-

num par est; utrum exterius, tum
interius moratos nos eidem exhibea-
mus. Exterius nos humiliando, &
jam cum Abrahamo se pulverem co-
rana eo agnoscendo, jam cum aliis
procumbendo, cum S. Francisco a-
mando, quod ipse amavit, cum S.
Augustino encomia illius deprædi-
cando; & interius cum S. Melch-
cildi cordi ipsius afficiendo, eum in
penetralia sua cum sponsa introdu-
cendo, porrigendo ei poculum ex
vino condito, ex lacrimis, inquam,
quæ verè vinum Angelorum nuncu-
pantur myrram sinceræ Contritio-
nis, mustum cordialis devotionis,
&c. Hi sancti mores inserunt in A-
mores; his rebus capitur Dilectus
assimulatus Capreae, hinnuloque cer-
vorum.

Verum si quispiam morosiores
se exhibet, dedignetur genu arcuare,
si quidpiam sinceræ devotionis
offerre, vereatur sane ne exaspere-
tur Dilectus, exprobratque perinde
ac Judæis: *Populus hic labiis me hono-
rat, cor autem eorum longe est à me.*
Populus hic non tam officiosus,
quam vitiosus. Ore suo me supra
sidera evehit, corde infra Tartarum
deprimit; linguam mihi consecrat,
præcordia vanitati, mundi que illece-
bris mancipat.

Matt. 15. 8.
Marci 7. 6.
Isa. 29. 13.

§. III.

Amor in Deum vocalis.

XII. Progrediamur sequestran-
tes, truncantesque alteram literulam,
& restabit Ore. Et hic modus haud
Ecc postre;

Amor vo-
calis

postremus suum in Deum affectum contestandi. Amor siquidem et si nonnunquam murus, sæpenumero vocalis est. Ut ille in corde celatur, de divinis exultat perfectionibus, delectatur in Domino, & gaudio interno triumphat; & auscultat quid loquatur illi Dominus: ita hic beneficio copiosè loquentis, & exercitæ suadæ, mira de Christo proloquitur, de ejus excellentiis, & attributis differit, & veluti jacula ignita ad inflammanda & conterenda corda emittit. Ut illi à januis est silentium, ab auribus quies & conticinium, à latere solitudo, à studiis divinum Pæuana, ita huic nectar, & ambrosia famulatur; omnes cœlestis Rhetoricæ figuræ, ac schemata obsecundant. Comune id quippe cum Amore mundano habet, ut & ille, & iste in sua arte sit facundissimus.

Nostis quod dico viri, fœminæque, & à quotidiana liquidum evadit experientia. Si ferveat inter vos Amor, fervent itidem colloquia. Si tepescat, vel extingatur, ex disertissimis Oratoribus transformamini illico in mutos sigaliones. Si mulier a versionis virus conceperit, etiam bidui, tridive maritum nec verbulo dignatur, si evomat illud, & dilectionis favum delibet, illico loquacissima evadet. Orator quippe Amor est, & vel elingues facit esse disertos. Si facundus non est, nec verus reputabitur.

XIII. Ardent Seraphici Spiritus amore intensissimo, & una Trisagion illud incessanter eructant: *Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus*

Pa. 6.

sabaoth. Flagrant Cherubica animalia, & senatus ille empyreus, nec solum animis, sed & ore canticum illud ingeminant: *Dignus es Domine accipere librum. & aperire signacula ejus, quoniam occisus es, & redemisti nos Deo in sanguine tuo, ex omni tribu, & lingua, & populo, & natione, & fecisti nos Deo nostro regnum.* Aestuat totus Angelorum Chorus, & una Eucharisticum concinunt Pæana. *Dignus est Agnus qui occisus est, accipere virtutem, & Divinitatem, & sapientiam, & fortitudinem, & honorem, & gloriam & benedictionem.* Uruntur alii sancti hoc cœlesti igne, & intonant: *Sedenti in throno, & Agno benedictio, & honor, & gloria, & potestas in sæcula sæculorum.* Adhibeamus & nos omnes ingenii nervos, effundamus omnes voluntatis affectus, & quod in medullis concepimus, ore identidem exprimamus.

Apoc. 5. v. 8

Ibid. v. 12.

XIV. Nonnunquam cum Seraphico Patre ejaculemur concepta in animo amoris tela, & dicamus: *Deus meus & omnia.* Summum bonum solum bonum, & omne bonum tu mihi es: *Deus meus & omnia.* Si esuriero, cibus mihi es; si sitivero, potus mihi es; si eravero, Dux mihi es; si in tenebris ambulavero, Lux es; si infirmus fuero, salus mea; si mortuus fuero, Vita mea es, *Deus meus, & omnia.* Tu in labore quies, in æstu temperies, in fletu solatium, in dolore voluptas, in periculis securitas: *Deus meus, & omnia.* Totos alios mundos aureos concedo, montes gemmeos haud invideo, *the lau-*

Amoris affectus

thesauros universos resigno; Deus meus, & omnia.

Aug. in so-
let.

XV. Alias cum Augustissimo Præsule ingemiscamus: Sero te amavi, pulchritudine adeo antiqua, & nova. Sero tuæ in nos æternæ Charitati respondere cœpi. Omne tempus breve ducebam in voluptatibus, longum in tuis obsequiis. Nulla mihi ætas parva est visa ad peccandum, omnis autem nimis infirma ad te amandum. Semper maturus in vitiis, nunquam adultus ad virtutes: Sero te amavi pulchritudo tam antiqua. Mulieris unius cuticula, ficto interdum medicamine imbuta, & mendacio cerullæ cohonestata multos ad sui pellexit amorem; me immensa divinæ tuæ pulchritudinis species attrahere non valuit. Vilissimum vermem sapius deperii, te summum ac unicum bonum identidem posthabui: Sero te amavi. Tu in fame, & siti, quam patiebaris memor eras gulæ meæ; in aestu, & frigore commeditatum mearum; in lachrimis, quas fundebas noveras duritiem meam; in omni austeritate, qua tractabas factatissimam humanitatem tuam recordabar; nimiam licentiæ meæ; in æterno denique amore habebas me semper præsentem, & ego eheu nihil antiquius habui, quam ut mala pro bonis rependerem, tua viscera sceleribus meis exulcerarem; &, quantum in me erat, violentas ipse manus tibi inferrem: Sero te amavi.

XVI. Velut alia mittam, in temet excandescendo nonnunquam exclamo: Usquequo tandem ingratus audiar cuculus? Usquequo habe-

re videbor cor omni amore vacuum? Eja crudelis amor cur me non perimis? cur mea non exuris præcordia? cur me vel lento vel violento in cineres non redigis incendio? Moriat ô Jesu, qui amore amoris mei dignatus est mori, vel si vis vivere, non vivam, nisi ut amem te. Exarescant prius omnia mihi membra, quam ut unquam cessem amare te, aut non vehementer desiderem nova incrementa amoris tui. Amo te ô Deus, ô Amor meus ex toto corde, ex tota anima, ex omnibus viribus meis; quem unum, nec alium vœta mea expetunt; & utinam in me uno collectos habere possem amores omnium creaturarum, quæ amoris capaces sunt, hisce omnibus te amarem; si cor mihi esset, quod pretio sui, & æstimatione æquaret myriades cordium, & quidem ipsius SS. Matris tuæ, tibi id totum consecrarem, ut quæ admodum tu me infinite amas, ego minimum ex parte respondere possem &c.

§. IV.

Amor in Deum realis

XVII. Findamus etiamnum apicem, & superit Re. Hic mihi est Amor, qui non tantum More, & Ore, sed Re ipsa innotescit, & proditur. *Vbi amor est, loquitur S. Ambrosius. magna operatur, ubi operari desinit, amor non est.*

XVIII. Plinius tradit inter ficum, & alias arbores id intervenire discriminis, quod hæc prius folia,

E e e 2 illa

*Amor realis
S. Ambrosius.*

*Veri & ficti
Amoris
discrimen*

Plin. l. 2. nat. hist.

illa fructus protrudat. Hæc eadem amorem suum, vel omnino contempnitatis intercedit inter fictum, verumque Amatorem; quod ille quidem toties quoties actus amoris Plurimæ in morem ingeminet, opere vero parum, aut nihil præstet. Is autem & opere prodat, & verbis contestetur.

Amor nunquam sine manibus

XIX. Hinc quantumvis ingeniosa Antiquitas Amorem sæpe nudum, sæpe exoculatum, sæpe capite destitutum proposuerit, nunquam tamen mancum, aut mutilum manibus. Evenire enim potest, ut cæco modo ranam putet esse Dianam, & Cervam Minervam. Cæcat quippe Amor mentes, & interdum sapientes. Et ut canit Poëta: *In sano nemo in amore videt.* Evenire & illud, cerebro careat. *Nam omnis amans amens, amor est insania sano.* Frequenter itidem vel securitatis, vel sinceritatis gratia, vel certè inopiæ causa nudus adumbratur; manibus tamen, brachiumque mutilatus nusquam vel a cæca gentilitate est propositus. Amor enim verus nunquam est otiosus. Ubi amor est magna operatur, ubi operari desinit, amor non est.

Tropert.

Amor effi-
ax

1. Reg. 28.

XX. Dilexit Jonathas Davidem amore vehementissimo perinde ac animam suam. Amavit corde, sed nunquid manus otiosæ. *Expoliavit se Jonathas tunica, qua indutus erat, & dedit eam David, & reliqua vestimenta usque ad gladium, & arcum suum, & usque ad balthæum.*

Dilexere tres Reges Christum infantulum in præsepio positum. Et licet pauca dicerent ad testificandum

cescerent; multa tamen præstabat. Aperuerunt enim thesauros suos, & ex iis optima quæque, ac pretiosissima deprompserunt, humi prostrati fidem clientelarem promittentes, & obsequium devotissimæ subjectionis oblato auro, myrrha, & thure parvulo illi Monarchæ deferentes.

Dilexerunt alii, sed opere, & veritate. Amor enim magna operatur si est, & si operari cesset, amor non est. Opera Lidijs lapis sunt, quo probatur amor, & discernitur fictus à vero.

XXI. Ad hunc lapidem periclitemini Amorem vestrum Seraphini terrestres, & videte, an non vox sit Jacob, manus autem Esau. Videte an non sit facilius lympham è filice elicere, quam gratiarum vestrarum rivulum in pauperem amore Numinis derivare? Profecto illæ voces sanguine Christi, ac visceribus ejus armatæ, quibus vos sæpiusculè pauperes irritò assultu invadunt, exiguum latere in vobis ignem demonstrant. Eapropter merito adhortatur fideles universos dilectus Domini discipulus. *Filioli mei non diligamus verbo, neque lingua, sed opere, & veritate.* Uno tactu, & tono canet lingua, cor, & manus. Extravagans est, quum alibi cor, alibi os, aut manus vagatur; cinis merus est, ubi intimæ Charitatis ardorem splendor exhibitæ subventionis non elucidat. Carbo est merus Amor, ubi peccatorum struem non exurit, flammamque virtutum ac operationum non

1. Tom. 3.

non diffundit. *Filioli mei non diligamus verbo, neque lingua.* Diligamus Amore, More, Ore, Re. Diligamus ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente, & ex omnibus viribus nostris.

Christus
postulat A-
morem no-
strum

XXII. Id enim vero est, quod Amor animarum nostrarum à nobis efflagitat; ut nimirum ille solus nostro figatur in corde, qui pro nobis fixus est in cruce. Id est, pro quo obtinendo fores cordis nostri pulsatur; dicens: *Ecce sto ad ostium, & pulso, si quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi januam intrabo ad illum, & cenabo cum illo, & ipse mecum.* Id est, quod votis, ac precibus flagrantissimis emendicat à nobis: *Fili praebe mihi cor tuum.* Gratis da, quod gratis accepisti. *Præbe mihi,* non mundo fallaci, non sathanæ cruento, non futilibus honoribus, non foetidæ carnis oblectamentis. *Præbe mihi cor tuum. Quid tibi est in via Aegypti, ut bibas aquam turbidam?* (ita loquitur Dilectus per Os Jeremiæ Vatis,) Et quid tibi cum via Assyriorum, ut bibas aquam fluminis? Cur frustra Aegyptum, mundum inquam istum petis, ut solatia veneris? aut quid viam Assyriorum superbiorum sectaris ut vanitate illius seducaris, & inebrieris? Avelle ab his omnibus cor tuum, illudque fonti omnium bonorum immerge; ibi sitim aucturus, hic extincturus. *Præbe mihi cor tuum.*

Eheu cujus pectus tam vehementibus ictibus non conteretur? Cujus egelida præcordia tam inflammatis dilectionis facibus non incalescent? Quis tam justis precibus repulsam fe-

ret: Infelix nimium, qui cœlesti suo sponso in eo haud obtemperat; cor suum ab eo sequestrat, mundo, ac carni devover. Et tamen pro pudor, cum omnia transitoria, quibus nec quicquam inest substantiæ, tam perditè diligamus, summum & unicum bonum, in quo omnis boni bonum, è corde sapiuscule proferibimus.

XXIII. Prædixisti haud vano tripode S. Paule Apostole, quod: *In novissimis diebus instabunt tempora periculosa, homines se ipsos amantes: Impletum vaticinium tuum cernimus. Amantur opes, nullam allaturæ opem; amantur spuria voluptates, quas non nisi sera pœnitentia à tergo committatur; amatur esca vermium Caro; & Amor, qui nos condidit, conditos conservat, conservatos beneficiis fovet, gratiisque omnibus locupletat, non amatur; non amatur.*

2. Tim. 3.
v. 1.

XXIV. Verumtamen mi amabilissime JESU non te contristet scelus nostrum. Recordare verbi sancti tui: *Nonne duodecim horæ diei sunt?* Si te prima, secunda, tertia juventutis, & adolescentiæ meæ non amavi, jam cupio, desidero, ardeo decima, & ultima senectutis meæ amare te, gaudere de te, exultare in te. Nolo, nolo jam membrum ullum, nisi propter Te. Nolo pedem meum, nisi ut quærat Te. Nolo manus, nisi ut tibi deserviant. Nolo genua mea, nisi ut tibi adsternar. Nolo linguam meam, nisi ut laudem Te. Nolo denique cor meum, præterquam ut diligam Te. Suscipe Domine bonam volunta-

E e e 3 rem;


Apoc. 3. v.
20.

Prov. 23. v.
26.

Jer. 2. v. 18.

tem; suscipe cor istud, & tibi nexu ad-
amantino conjunge. Tu qui semper
ardes, & nunquam extingueris; illud
incende, ut amore amoris tui cuncta
faciam, qui amore amoris mei cuncta

condidisti. Sit hoc pactum nostrum
inconcussum, ac inviolabile, quod
olim cum dilecta tibi Catharina Sen-
nensi iniisti: *Tu cogita de me, ego cogi- In vita*
tabo de te. Fiat. Fiat.



CONCIO XLVII.

IN DOMINICA. XVIII. POST PENT.

Transfretavit. Matth. 9.

ARGUMENTVM.

Anchora Salutis jacitur.



*Vita navi-
gatio*

Ira nostra navigatio
mystica est, eaque
multo periculosis-
sima. A. In hac O-
ceanus mundus est,
corpus navis, anima
navarchus; venti, tempestatesque, af-
fectus, ac tentationes, syrtes, charyb-
des, scopuli, impendentia undique
pericula; pyratae, Lemures Averni,
portus denique ad quem nos recipi-
mus, & ad quem contendimus, Bea-
tudo sempiterna. In hac navi, si bel-
le disposita, remigum munus obeunt
Justitia, Prudentia, Temperantia,
Fortitudo; vices mali supplet Fides;
antennarum, ac carbasum Charitas.
Quid anchora? S. Paulus hoc elogio
honestat Fiduciam in Deum: Sice-

nim scribit: *Firmissimum solatium ha-
bemus, quo confugimus ad tenendam pro-
positam Spem, quam sicut Anchoram ha-
bemus anima tutam, ac firmam. q. d.*
Quod in procelloso hujus mundi O-
ceano navigantibus est anchora, id
nobis ad portum aeternae felicitatis
contententibus Spes est. Sistit illa na-
vim, ne in syrtes brevique deferatur,
ne in scopulos impingat, ne retrosum
abripatur; & ista animum, ne forte
tentationum jaetata tempestate, vel in
desperationis voraginem delabatur;
vel ad Acroceraunia desperationis al-
lidatur, ac conquassetur. Ut ergo
fluctuantium Anchora, ita tentato-
rum, afflictorumque Spes uni-
cum est solatium. *Hanc sicut anho-
ram habemus tuam, & firmam. Verum-*

Heb. 6. v. 19.

*Spes Ancho-
ra.*

tamen